This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/

123
55.20

Damgeld - De Symbolis Pythagorae - 1721

Gp 123.55.20

Harvard College Library

FROM

FRANCIS H. [illegible]

AUG [illegible]

DE
SYMBOLIS
PYTHAGORAE

DISSERTATIO PRIOR

QVAM

SVPERIORVM CONSENSV

ERVDITORVM EXAMINI EXHIBENT

M. CHRISTIAN. FRIEDERICVS DORNFELD,

LIPSIENSIS,

ET

CHRISTIAN. SAMVEL WAGNERVS,

BECKV. MISN.

STOBÆUS *Lib. V. Serm. de temperantia.*

Καὶ μὴν οὐδὲν ἐστιν τῆς Πυθαγορικῆς φιλοσοφίας ἴδιον, ὡς τὸ συμβολικὸν, τὸ φράζεσθαι δοκεῖν, κρυπτόμενόν ἐστι, καὶ τὸ κρύπτεσθαι, νοούμενον.

LIPSIÆ, D. XXXI. MAJI M DCC XXI.

LITTERIS TITIANIS.

Gr 123.55 A

HARVARD COLLEGE LIBRARY
GIFT OF
FRANCIS H. FOBES
AUG 30, 1921

VIRO
ILLVSTRI ATQVE MAGNIFICO
DOMINO
ABRAH. CHRISTOPH. PLATZIO,
JCto CONSVMMATISSIMO,
DYNASTÆ IN MOKAV,
ALTENPLOESSEN, &c.
POTENTISSIMO POLONIARVM
REGI ATQVE ELECTORALI SAXONIÆ
SERENISSIMO A PROVOCATIONVM CONSILIIS,
SVPREMÆ CVRIÆ PROVINCIALIS ET SCABINATVS ASSESSORI, TEMPLI ET SCHOLÆ AD D.
NICOLAI ANTISTITI GRAVISSIMO,
REIPVBLICÆ LIPSIENSIS CONSVLI,
H. T.
FASCES TENENTI
ORBIS PATRIÆ
PRÆSIDIO.

CIVIVM.
PATRI. AC. PROTECTORI.
IN. DELICIIS. HABITO.
SENATVS.
PRÆSIDI. AC. ORNAMENTO.
PRÆCIPVO.
AVCTORITATE. VIRTVTE. CONSILIIS.
PRÆSTANTISSIMO.
ECCLESIÆ.
TVTAMINI. ET. FVLCRO.
MVSARVM.
STATORI. ET. RESTAVRATORI.
ANTIQVÆ. PIETATIS. AC. FIDEI.
EXEMPLO. AC. SPECVLO.

JVSTITIÆ.

SACERDOTI. SANCTISSIMO.

FORTVNARVM. SVARVM.

PRIMO. PALLADIO.

EREPTO. AD. SVPEROS. OPTIMO. PARENTE,

PATRIS. VICEM. GERENTI.

LIBELLVM. HVNC. ACADEMICVM.

NVMEN. PROPITIVM.

VITAM. FELICEM.

VALETVDINEM. PROSPERAM.

SENECTVTEM. LONGÆVAM.

REGIMEN. PACATVM.

RES. EX. VOTO. EVNTES.

ANIMO.

PIO. GRATO. DEVOTO.

PRECATVS.

SACRVM. ESSE. JVBET.

M. CHRISTIANVS FRIDERICVS
DORNFELD,
LIPSIENSIS

§. I.

De variis modis tradendi moralia.

QUum rerum Moralium præcepta ac Diſciplinæ, quanquam omni humano generi ſaluberrimæ, corruptæ tamen indoli mortalium, cui medicinam adferre volunt, non adeo ſint ad palatum, viri Sapientes, ut variis variorum ingeniis ſe adtemperarent, diverſas Moralia tradendi vias ſunt ingreſſi. Methodus doctrinæ imprimis accommodata atque adeo in ſcholis frequentiſſima eſt ſyſtematica, quam demonſtrativam vocant alii, quæ virtutum ac vitiorum definitiones, diviſiones, cauſas, effecta & varias circumſtantias atque adjuncta, deductis ex principiorum fonte concluſionibus, in forma artis exponit. Præcipuus in hoc genere, quique aliis viam ſtravit, fuit ARISTOTELES, de quo ita communis ille Germaniæ Præceptor PHILIPPUS MELANCHTHON. *in præf, Philoſophiæ moralis: In Ariſtotele methodus gubernat diſputationem & quaſi intra metas coërcet, ne a demonſtrationibus & recta via deerretur; Quare eruit veras ſententias, easque ordine & proprie explicat. Proinde & propter veras ſententias & propter methodi exemplum Per-*

Methodus ſyſtematica

patetica ſunt utiliora. Hæc MELANCHTHON. Confer, hic Les Oeuvres DU P. RAPIN *dans la Comparaiſon de Platon & D'Ariſtote Tom. I. p. 280.* Quum vero efficaciſſima ad flectendas hominum mentes, ac tantum non ipſis regulis validiora ſint exempla, etiam illi morum doctoribus merito accenſentur, qui bene aut male factorum in ipſis hominibus documenta enarrant, quod imprimis officium, hiſtorici ſibi vindicant. Hiſtoria enim, ſicut haud immerito magiſtra vitæ TULLIO *de Orat. II. 9.* dicitur, ita in ejus lectione, ut ait LIVIUS *in præf. Decad. prim. illud eſt præcipue ſalubre & frugiferum, omnis te exempli documenta in illuſtri poſita monumento intueri, unde tibi tuæque Reipublicæ, quod imitere, capias, inde fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites.* Collineant in hunc ſcopum ſcriptores, qui omnis generis exempla collegerunt, e quorum numero eſt ÆLIANUS, VALERIUS MAXIMUS, L. DOMIT. BRUSSONIUS, NICOL. DE HANAPIS, JOH. â S. GEMINIANO, MARULLUS SPALATENSIS, BAPT. CAMPOFULGOSUS, M. ANT. SABELLICUS, ANDR. EBORENSIS, ANDR. HONDORFIUS, GUIL. PERALDUS, SPARANUS, FRANC. SCHOTTUS & cæteri. Quorſum & pertinent THEODORI ZWINGERI *Theatrum vitæ humanæ*, SIMONIS GOULARTII *morum Philoſophia hiſtorica*, JOH. CONR. DÜRRII *Ethica paradigmatica*, ERASMI BROCHMANDI *Ethicæ hiſtoricæ ſpecimen* & in Politicis, AMBROSII MARLIANI *Theatrum Politicum*, GREGORII RICHTERI *axiomata politica, œconomica & eccleſiaſtica exemplis confirmata*, ANTONII DE GUEVARA *Horologium Principum*, & alii. Sed vero in ſola

Paradigmatica.

ap. GEORG. PASCHIUM *de variis modis Moral. trad. cap. V. p. 464.*

vera

vere factorum enarratione ſubſiſtit hiſtoria, ex qua virtutum cultores, vitiorumque ſectatores intuendos tibi proponas. Ceterum & in illorum exemplis ſuppetitandis alii quoque verſantur ſcriptores, quorum inſignis plane & in hoc argumento eſt uſus. Characterum ſcriptores intelligo, in quibus imprimis excellit THEOPHRASTUS, utpote qui animorum vivas imagines velut in Tabula ab actionibus ſuis, quibus ſe produnt, depictas exhibent. Qui vero delineata hunc in modum hominum vitiis deditorum ingenia ſale quodam acriori perſtringunt, ſatyrici communiter vocantur, in hunc cenſum merito referendi. Notum enim eſt illud FAB. PLANC. FULGENTII, ita loquentis: *Licet mulieris verbalibus undis omnes cedant, nec Grammatici mutiant, nec Rhetor taceat, nec clamorem Præco compeſcat, ſola eſt ſatyra, quæ modum imponit furentibus.* Itemque illud OWENI *ex Lib. II. Epigram. CC.* *Characteriſtica.* *Satyrica.*

Idem, qui legum ſatyrarum finis, idemque
Principium; mores hos genuere mali.

Neque tamen prætereundi ſunt Poëtæ, cum *Epici*, tum *Comici* imprimis ac *Tragici*, qui in eo conveniunt cum hiſtoricis, quod virtutum vitiorumque in hominibus conſpicienda præbeant ſimulacra, in eo autem differunt, quod aut vere facta fictionibus amplificent & exornent, aut ſub fictis prorſus perſonis res hominum ſiſtant. Dramata ſcilicet, docente GEORGIO PASCHIO *in Tract. de variis modis Moralia tradendi, cap. I. pag. 36.* fictis perſonis res veras imitantur, depingendisque hominum conſiliis ac inſtitutis, quid deceat, quidve fugiendum ſit luculentur oſtendunt. Suntque adeo Comici optimi exprimendorum Mo- *Method. per carmina Epica.* *per Comœdias & Tragœdias.*

rum artifices, quos ſecundum circumſtantias ita deſcribunt, ut modo virtutis ſplendorem & pulcherrimam intueri faciem, modo vitiorum turpitudinem & dedecus tanquam in ſpeculo animadvertere liceat. Dico, *tanquam in ſpeculo;* Recte enim Poëta LIVIUS ANDRONICUS (hic teſte VALERIO MAXIMO *Dictorum futurorumque memorabilium Lib. II. cap. 10.* a Satyris primus omnium ad fabularum argumenta ſpectantium animos tranſtulit) comœdiam vocat quotidianæ vitæ ſpeculum; quem CICERO ap. DONATUM *in Vit. Ter.* ſecutus, eam, imitationem vitæ, ſpeculum conſuetudinis, & imaginem veritatis, ipſe pronunciat. Non multum ab his abeunt, qui *Fabulas Romanenſes*, ut vulgo vocantur, condunt, aut fictas Reſpublicas deſcribunt, qui in proponendis morum exemplis veroſimilitudinem utcunque conſervare videntur velle. Longius autem procedunt, ac majorem ſibi fingendi indulgent libertatem *Apologorum* ſcriptores, qui beſtias & bruta animantia, imo arbores & alia inanimata exemplis pariter & monitis ſuis, animos hominum ad virtutem & prudentiam formantia, inducunt. Atque hi ipſi Apologi, qui per animalium aliarumque rerum imagines, vitam moresque informant, apti atque idonei ſemper viſi ſunt, quibus duci mortales & commoveri mentes magis quam rationibus poſſent. Certe morum præcepta pleriſque ingrata ſunt, exempliſque virtutum ſubeſt tacita quædam vitiorum exprobratio: ſatyris autem ac comœdiis ad irridendos potius, quam fugiendos nœvos notandosque alios magis, quam ſemetipſos emendandos homines diſponuntur: verum a *fabulis* ſive *Apologis* abeſt præcipiendi ſeveritas & exemplorum odium & repre-
hen-

per fabulas Romanenſes.

per Apologos.

hendendi libido. Illæ vero omnes methodi, quæ doctrinas exemplis miſcent, quemadmodum hoc habent præcipuum, ut voluptatem & utilitatem ſimul ſectentur, veluti de Poëtis ipſe hoc Poëta HORATIUS *de arte poëtica v. 333.* docet:

Aut prodeſſe volunt aut delectare Poëtæ
Aut ſimul & jucunda & idonea dicere vitæ.

Ita ſimpliciorem longe, ac cum majori ſeveritate conjunctam ingreſſi ſunt viam, qui nudis verbis ad virtutem & prudentiam, hortantur. Illud vero vel proliziori oratione fieri animadvertimus, cujus generis hortationes apud Stoicos imprimis, ſi veteres reſpicias Græcorum Philoſophos, occurrunt, qui morum Philoſophiam ea propter, in *dogmaticam & pareneticam*, quam SENECA *præceptivam* dixit, dividunt: vel conciſis ac brevibus ſententiis, aliquando cum acumine dictis, quorum magnam in ſacris apud *Salomonem* & *Siracidem* habes copiam. Nata hinc ſunt *Adagia*, *Apophtegmata*, *Emblemata*, *Symbola* & hujus generis multa, de quibus multis commentari, jam non eſt noſtrarum rationum, quum in illo argumento cum laude jam verſatus ſit, qui de omni moralia tradendi ratione luculentum edidit librum, GEORGIUS PASCHIUS jam ſupra laudatus. Inter Symbola imprimis eminent illa PYTHAGORÆ, de quibus nonnulla, libello hoc academico commentari conſtituimus, prout nobis a DIOGENE LAERTIO exhibentur.

Parænetica.

Symbolica &c.

§. II.

Symboli etymologia.

Priusquam vero ipſam Symbolorum PYTHAGORÆ recenſionem, illorumque examen ſuſcipiamus, ipſius

vocis Symboli notionem paulo accuratius inquiſiviſſe juvabit. Quod autem Symbolum Græcis originem debeat, ex ipſius vocabuli compoſitione, cum a σὺν & βάλλομαι vel βάλλω, *confero, conjicio*, derivetur, non obſcure patet. Duo ab hoc verbo συμβάλλω deſcendunt nomina, συμβολὴ alterum & alterum σύμβολον, quæ diſtinctam diverſamque notionem habere creduntur. De Differentia illa vide paſſim diſceptantes Philologos ac Criticos, quorum ſcrinia expilare non jam eſt inſtituti noſtri: vid. GERH. JOH. VOSSIUS *in Diſſert. de Tribus Symbolis, Diſſert. I. §. IX. XVII. pag. 13.* HEINRICUS STEPHANUS *de abuſu græcæ linguæ cap. I.* Dignus tamen eſt, qui hic legatur locus ISAACI CASAUBONI *in Animadverſ. ad Athæn. Lib. III. Cap. XXXI. p. 224.* συμβολὴ, inquit, *eſt collatio eraniſtæ ad convivium: quisquis enim, quod ad manum erat conferebat. Eæ partes dictæ* συμβολαὶ *& convivium hujusmodi* ἔρανος *vel* δεῖπνον ἀπὸ συμβολῶν. *Mutato vero genere* σύμβολον *vocabant annulum, vel quidvis aliud arrbæ loco ſolitum dari ei ſodalium, qui jubebatur cœnam parare, Ter. Eun. Act. III. Sc. 10.*

συμβολὴ & σύμβολον differunt.

> *Heri aliquot adoleſcentuli cojimus in Piræo*
> *In hunc diem ut de Symbolis eſſemus:*
> *Chæream ei rei præfecimus: dati annuli,*
> *Locus, tempus conſtitutum eſt.*

Conf. PLINIUS *Lib. XXXII. Non ſolum annuli continentur appellatione* συμβόλȣ, *ſed generaliter, quicquid arrbæ loco datur. Confer.* GELLIUS *in Noct. Attic. Lib. VI. cap. XIII. p. 140.* Et ſane, ut facile demus, non omnis diſcriminis expertes illas eſſe voces, in quo tamen illa differentia præciſe conſti-

conſtiterit, accurate definire, & utrum ſemper & ubique obſervatum fuerit diſcrimen illud, inveſtigare nunc non licet. Miſſa autem voce συμβολὴ de noſtra σύμβολον obſervamus, admittere eam varias ſignificationes. Scilicet vi vocis σύμβολον eſt id, quod ab unoquoque confertur in communem quandam collectionem. Cum vero in re convivali, quæ hanc & cognatas voces ſibi peculiariter vindicavit, ſymbolon eſſet illud, quod quiſque convivio interfuturus pignoris loco tradebat ei, qui epulo curando præficeretur, quo ſe & adeſſe & ratam ſumtuum partem exſolvere velle obligaret, factum eſt, ut quælibet arrha aut teſſera contractuum, ſymbolon vocaretur, quo quis ad aliquid obligari, pignus ſuum ſibi vindicaturus, tanquam ſigno, cognoſceretur. Inde notionem teſſeræ, ſigni atque indicii traxit hæc vox ac paulatim inflexa fuit ad deſignanda vocabula aut breves ſententias, militibus à duce datas, quas interrogati milites ederent atque adeo, utrum ad hæc an hoſtilia caſtra pertineant, dignoſcerentur. Illa igitur militum ſymbola, cum frequenter, prout & nunc ſolent, breves ſententiæ eſſent, facile inde contigit, ut conciſa dicteria, quæ quis ſolito frequentius in ore haberet, ſymbola dicerentur, quæ jam res facile ad ea PYTHAGORÆ ſymbola, de quibus nobis eſt ſermo, applicatur. Niſi quis malit notionem ſymboli Pythagorici deducere ἀπὸ τῦ συμβάλλεσθαι, conjicere, conjectura aliquid aſſequi, qua ratione exponunt græci Grammatici apud SCHEFFERUM *de Philoſophia Italica p. 89.* ἐξ ὃ ἐςὶν ἡμᾶς συμβάλλειν τὶ καὶ γνῶναι, i. e. *ex quo conjicere quid poſſumus, ac noviſſe.* Scilicet hujusmodi ſymbola obſcuriora ſunt & ſenſus habent occultos, nonniſi conjectura inveſtigandos. Iſta vero ratione

σύμβολον, quid?

alia derivatio

ne ſymbola dici non poſſent ſententiæ planæ & quarum ſenſus unicuique primo ſtatim intuitu patet.

§. III.

Symboli definitio. Quodſi jam ſymbola Pythagorica paululum perluſtremus, eorumque rationes & indolem generatim velimus cognoſcere, deprehendimus ea eſſe breves Sententias ſenſus obſcurioris atque occulti, quarum verba proprie longe aliud ſignificant, quam author intendebat, ſenſu autem improprio ac metaphorico continent monita morum & prudentiæ. Unde jam facile patere, vel nobis tacentibus, arbitramur, qua ratione *Differentia* ſymbolum a ſententia ſ. gnoma, adagio ſ. proverbio, emblemate, apophtegmate & ſimilibus differat. Quanquam enim in uſu vocabulorum communi differentia illa forte non ſemper attendatur, quin promiſcue de diverſis eadem dicatur vox; quanquam & illud negandum non ſit, multa hujusmodi ſymbola, ex eo, quod triti ac vulgaris uſus facta ſunt, in proverbia abiiſſe: ipſa tamen definitione reali quodammodo adhuc invicem differunt. *à gnome* *Sententia* ſcilicet ſeu gnoma generale eſt, cujus ſpeciem facit *ſymbolum*, eſtque dictum aliquod breve & conciſum, regulam quandam morum aut prudentiæ complexum, quod aliquando vel nude, ſenſu plano ac obvio & ſine acumine, aliquando ingenioſe, non tamen allegorice & ſub reconditæ ſimilitudinis involucro, proponitur. *adagio* Quemadmodum & *adagium* latius patet, quam ſymbolum, eaque omnia dicteria complectitur, quæ uſus facta ſunt pervulgati, atque ad plurimos vitæ caſus aut eventus applicantur. *emblemate* *Emblema* vero ſtrictius loquendo imagunculam cum *ſententia* conjungit, quemadmodum & *apopthegma* dicitur, facetè dictum non cujuslibet, ſed ORATO- *apopthegmate.*

RUM,

RUM, DUCUM, LEGATORUM; & PLUTARCHUS *ſcite dicta* Regum ac Imperatorum apophthegmata appellavit, de quibus ille integrum librum conſcripſit, qui *in Parte I. Moralium ejus pag. m. 172. ſeq.* apparet. *Symbolum* autem, quando his omnibus contradiſtingvitur, id ſibi proprium habet ac peculiare, ut non niſi ſenſu improprio ac metaphorico monitum vitæ complectatur, adeoque obſcurius ſit intellectu & ad ænigma fere accedat, hoc tantum diſcrimine, ut ænigma ingenii exercendi cauſa imprimis fingatur, qui ſcopus in ſymbolo non principalis, ſed acceſſorius eſt.

§. IV.

De Pythagora remiſſive.

Talia ergo ſunt & Pythagoræ noſtri ſymbola, Viri maximi ac Philoſophi præſtantiſſimi, de cujus vita, itineribus, rebus geſtis, doctrina, diſciplina, ſi prolixius agere velimus, & extra oleas vagaremur, & Iliada poſt Homerum condere videri queamus, quum iſta opera ipſe ARISTOTELES *ἐν τῷ Πυθαγορικῷ*, citante ſic DIOGENE LAERTIO & THEON. SMYRNÆO *Lib. I. Mathematic. cap. V.* NUMENIUS. CRONIUS. MODERATUS. THRASYLLUS, & clarior omnibus PLOTINUS. vid. JOH. GERH. VOSSIUS *in libro de Philoſophor. Sectis cap. VI. §. 44. pag. 294.* ARISTOXENUS *de quo vid.* AUL. GELL. *Noct. Attic. Lib. IV. cap. XI. p. 120.* JONSIUM *de Scriptoribus Hiſtor. Philoſoph. Lib. I. c. XIV. pag. 85.* JAMBLICHUS & PORPHYRIUS in vita PYTHAGORÆ, DIOGENES LAERTIUS, & alii, de quibus vid. JONSIUS *l. c. pag. 25. 36.* ex recentioribus THOM. STANLEJUS, JOH. SCHEFFERUS *in Libro de Nat. & conſtitut. Philoſoph. Italic.* LOYDIUS, *Aſaphenſis Epiſcopus, in*

vita Pythagoræ, *Londini 1699.* edita. MAGNUS DAN. OMEISIUS *in Ethica Pythagorica*: LUCAS HOLSTENIUS *in Diſſert. de vita & ſcriptis Pythagoræ*, *Cantabrigiæ*, 8. 1655. edita, LUDOV. HAMBERG. *in Diſſert. de vita & ſymbolis Pythagoræ*, GOTTOFREDUS RABENERUS *in Amœnitatibus Hiſtorico-Philologicis*, in quibus *pag.* 117. diſſertatio continetur: *An Pythagoras fuerit proſelytus?* JACOB SYRTIUS *in Diſſert. de Pythagora intra ſyndonem noſcendo:* IO. FRANCISCUS BUDDEUS *in Diſſert. de Peregrinationibus Pythagoræ* & ex illo SCHRADERUS *de Pythagora*, SCHILTERUS *in Diſſertat. de Diſciplina Pythagorica.* CLAUDIUS LIGNIERIUS *de Secta Pythagorica*, aliique plures, quibus adhuc adjungendus eſt Mſ. BAYLE *dans le Dictionaire Hiſtorique & Critique Tom. III. pag.* 2440. Mſ. DACIER. *dans la vie de Pythagore:* conf. Mſ. CLERC. *dans la Bibliotheque Choiſie Tom. X. Artic. II. pag.* 79 & 181. egregie ſint defuncti.

§. V.

Methodus ejus diverſa.

Duplex autem ipſi fuit ratio informandis hominum moribus uſitata, quædam enim διεξοδικῶς, quædam συμβολικῶς docere ſolebat, hoc eſt, quædam apertius, quædam obſcurius. Utriusque vero generis præcepta ſive monita apud MALCHUM, atque apud S. HIERONYMUM in Apologia adverſus RUFFINUM leguntur. Manifeſte enim præcipiebat hæc. Περὶ μὲν τῦ Θεῖȣ καὶ δαιμονίȣ, καὶ ἡρώȣ. γένος εὔφημον εἶναι, καὶ ἀγαθὴν ἔχειν διάνοιαν, γονεῦσι δὲ καὶ εὐεργέταις εὔνουν· νόμοις δὲ πείθεσθαι, προσκυνεῖν δὲ μὴ ἐκ παρέργȣ τοὺς θεὺς ἀλλ᾽ οἴκοθεν ἐπὶ τῦτο ὡρμημένȣς. Et illa alia, quæ Χρυσᾶ παραγγέλματα S. Hieronymus in ultima Apologia contra Ruffi-

Ruffinum, appellat. *Φευκτέον παντάπασιν καὶ ἐκκοπτέον ἀσθένειαν μὲν τοῦ σώματος, ἀπαιδευσίαν δὲ τῆς ψυχῆς, ἀκολασίαν δὲ τῆς γαστρὸς, στάσιν δὲ τῆς πόλεως, τὴν δὲ διαφωνίαν ἀπό τῆς οἰκίας, καὶ κοινῇ ἀπὸ πάντων τὸ ἀκρατές.* & reliqua multa ejusdem generis, quæ brevitatis cauſa prætermittimus. Obſcurius vero præcipiebat ſymbolis utens, vid. VALERIUS MAXIMUS *Lib. II. cap. VI. p. m. 183.* quæ a LAERTIO JAMBLICHO, PORPHYRIO, STOBAEO ceterisq; ſcribuntur. Vid. ALDOB. ad DIOG. LAERT. *Segm. XVII. Lib. VIII. pag. 501.* & ÆGIDII MENAGII obſervationes *ad hunc* LAERTII *locum p. 358.*

§. VI.

Methodus ſymbolica, unde?

Morem iſtum docendi *ſymbolicè* ex Ægypto attuliſſe creditur, quanquam orientalibus populis fere omnibus hanc conſvetudinem fuiſſe oppido familiarem, conſtat, a quibus forte & ipſi Ægyptii eam didicerunt, & ad gentes quam plurimas idem dimanavit inſtitutum. Priſcorum enim hominum mos fuit, ut ſua cum verba tum geſta ad occultos ſenſus interdum referrent, ut ex iis apparet, quæ de ÆGYPTIIS, PHOENICIBUS, SCYTHIS, GRÆCIS, ROMANIS, PYTHAGOREIS, EPICUREIS, STOICIS, ARISTOTELEIS, IDANTHURA, PERIANDRO, TARQUINIO SUPERBO, HERACLETO & SCYLURO graves auctores SANCHUNIATO apud EUSEBIUM *de Præp. Lib. I. cap. X. pag. 39. Edit. Gr. Latin.* PLATO *Lib. III. de Republ. pag. 414. Edit. Henr. Steph. 1578. Tom. II.* ARISTOTELES *Lib. III. de Republ. cap. XIII.* LIVIUS *Decad. I. Lib. I. pag. 39. edit. Jacobi Stoer. 1622. pag. 57. fin.* PLUTARCHUS *Lib. de educ. Lib. pag. 12. Tom. II. edit. Pariſ. Gr. Latin.*

& quibus uſitata?

Conf. Ludovicus Ferrandus in Paraphraſi ad Pſal. Cap. III. Præf. pag. 7.

um. Item in Lib. de Garrulit. p. 511. Lib. de Iſid. & Oſir. ſub initium : & in Quæſt. Rom. p. 281. & CLEMENS ALEXANDRINUS *Strom. Lib. V. pag. 555. ſeqq. edit. Pariſ. Gr. Latin. 1641.* narrant. ORPHEUS, LINUS, MUSÆUS, HOMERUS, & HESIODUS multa ſymbolicè philoſophati ſunt, ut ait CLEM. ALEXANDR. *l. c. p. 557.* & ex parte confirmat PLATO *in Jone Tom. I. pag. 630.* ex quo diſcimus METRODORUM LAMPSACENUM, STESIMBROTUM, THASIUM GLAUCONEM, & alios operam conſumpſiſſe eruendis HOMERI allegoriis: quibus (apud HOMERUM non ſolum ſed apud Ethnicorum alios) eas præcipue intelligi velim, quæ moralia documenta ſpectant, non vero illas, quæ a DIODORO, CHAEREMONE, PORPHYRIO aliisque apud EUSEBIUM *de Præp. Lib. III. cap. I. 10. IX.* excogitatæ ſunt, ut Deorum pugnis, adulteriis & cæteris hujusmodi impiis & abſurdis commodas adhiberent explanationes, quæ neque PLATONI, *Lib. II. de Republ. ſub fin. & Lib. III. ſub init.* & EUSEBIO *lib. cit. cap. III. VI. X. XV.* neque ipſi placuerunt PLUTARCHO *de aud. Poët. pag. 29.* qui ridiculas Deorum hiſtorias ad probum ſenſum detorquere alibi conatur, quo nomine ab EUSEBIO *Lib. cit. Præf. & cap. II.* merito vapulat. Laudatis a Clemente ſcriptoribus adde PHERECYDEM SYRUM, ANDROCYDEM, DIONYSIUM THRACEM grammaticum, EPIGENEM, HERACLITUM, EUPHORIONEM, CALLIMACHUM & LYCOPHRONEM, qui ſymbolicum genus conſectati ſunt aut laudarunt, ut docet dictus jam CLEMENS *Lib. cit. pag. 568. 571.* qui recte ait omnes, qui de rebus divinis tractarunt tam Barbaros & Græcos rerum quidem

dem principia occultaſſe; veritatem autem ænigmatibus, ſignisque & ſymbolis & allegoriis, rurſus & metaphoris & quibusdam talibus tropis modisque tradidiſſe Conf. *Les Paroles remarquables, les Bons Mots, & les Maximes des Orientaux* de M^r. GALLAND. M^r. d'HERBELOT *Bibliotheque Orientale, & les Oeuvres* Du P. RAPIN *dans la comparaiſon de Platon & d'Ariſtote, pag. 283. ſeqq.* Sed jam ad ſingula ea PYTHAGORÆ ſymbola conſideranda accedimus, in quibus recenſendis DIOGENEM LAERTIUM ſequi nos velle profesſi ſumus, tum quia idoneus ille ſatis autor eſt, tum ut facilius intra certos terminos operam noſtram contineamus.

§. VII.

Πῦρ μαχαίρᾳ μὴ σκαλεύειν

Ignem gladio non fodiendum.

Primum eſt ex recenſione LAERTII ſymbolorum PYTHAGORÆ, quod vel ex veterum vel ex recentiorum autorum interpretationibus illuſtrandum nobis venit. Non autem multum hic diſquiremus, in varias, quæ apud Autores obſervantur, lectiones, (a) cum interpretationes hujus ſymboli difficiles haud reddant. Senſum hujus ſententiæ curatius inquirentes, variis modis eruunt multisque inter ſe collatis probabilitatibus atque conjecturis, diverſimode eum conſtituunt viri docti. Homines ſcilicet ira percitos, non eſſe laceſſendos, neque ad iram eosdem provocandos, hic innui, D. HIERONYMUS adverſus RUFFINUM & apud

 Athe-

(a) Greg. Gyraldus *in interpr. ſymb. Pythag. Opp. T. II. p. 648.* meminit lectionis Politiani, quem putat ita legiſſe: Πῦρ σιδήρῳ μὴ σκαλεύειν. *ignem ferro ne fodicato.*

ATHENÆUM *Lib. X. c. XVII.* DEMETR. BYZANTIUS, annotante DES. ERASMO *in Adag. Chil. Cent. I. p. 17.* exiſtimarunt: cum magis concedere, & blandis verbis tumidos animos placare, conveniat. vid. PLUTARCH. *de liber. educat. c. XVII. §. 9. p. m. 333.* PORPHYRIUS *de Vita Pythag. Sect. LII.* Confer. C. RITTERSHUSIUS *in Notis ad Porphyr. pag. 62.* PIERII *Hieroglyph. L. XLII. de gladio*, & THUIL. *de Symb. Pythag.* citante PAULO PATRE *in Franc. Bernii. Arcan. Moral. p. 84.* Iraſci enim malum; provocare pejus eſſe, ipſe ARISTOTELES *Mor. Nicom. L. V. c. X.* pronunciavit. Conſentit cum his interpretatio recentior Mſ. DACIER, quæ legitur, *dans la vie de Pythagore T. I. p. 179: Ignem gladio ne ſcalpas, c'eſt à dire, qu'il ne faut pas exciter ceux, qui ſont déja aſſez irritez.* Referenda huc etiam eſt THOM. STANLEJI explicatio, quam *T. II. Hiſtor. Philoſoph. p. 786.* affert, putat nimirum omnia PYTHAGORÆ ſymbola adhortatoria eſſe ad omnem virtutem moralem, ſigillatim vero ſingula ad unamquamque obſervandam atque ſectandam, viam nobis ſternere, hincque iſtud, quod jam conſideramus, ſymbolum, de moderatione affectus iræ explicari poſſe ſtatuit, *cum per iſtud in nobis notitia conveniens, non opportere orationem, viro, igni iraque pleno, exacutam opponere, nec cum eo contendere, excitetur.* Peculiariter ab aliis, imprimis â DIOG. LAERTIO *in Pythag. L. VIII. Segm. XVII. p. 502.* & SUIDA ſub *voce* Πυθαγόρας *T. III. p. 233.* exponitur de potentiorum ira & ſuperborum ac ferocium iracundia, convitiis haud exagitanda ac commovenda, propterea quod flamma, quo magis exagitatur, hoc magis atque magis invaleſcit. Neque

que ab iſta interpretatione diſſentit, Div. CLEMENS *Libr. ἀναγνώσεων VI.* qui ignem pro iracundia & furore ſumere videtur, cum ait: *puto, quod ſatis dignas habeatis iracundiæ cauſas, ex quibus juſtiſſimus ignis iſte coaleſcat.* Quanquam PLATO (b) *L. VI. de leg.* ſic uſurpavit, ut de iis dici ſolitum videatur, qui fruſtra moliuntur, quod effici nullo pacto queat: oſtendens id luſus genus quoddam fuiſſe, ut ignem gladio diſſecarent, vel (ut alii dicunt) dividant. vid. DES. ERASM. *l. c. p. 17.* Ad eundem ferme ſenſum retulit D. BASILIUS *in Ep. ad nepotes p. 349.* ut idem ſibi velint, ignem gladio diſſecare: & cribro haurire aquam, quorſum etiam ex ERASMI judicio alluſit LUCIANUS (c) *L. II. Verar. Narrat.* HORATIUS hoc dicto videtur indicare crudelitatem cum inſania conjunctam: cum amor per ſe furor ſit, cui calori cædes adjungenda non eſt, nam ſi erumpat in pugnas ac cædes, ignis gladio perfoditur. *Lib. Serm. II. Sat. 3. v. 275.* *apud Gyrald. l. c. p. 648.*

Adde cruorem
Stultitiæ, atque ignem gladio ſcrutare.

conf. *ad iſtum* HORAT. *locum* JOHANNEM BODINUM. ATHE-

(b) PYTHAGORAM enim ſecutum fuiſſe PLATONEM GYRALDUS credit. l. c. p. 648. cum *ignem igni non addendum eſſe dixerit*, h. e. *πῦρ ἐπὶ πυρί.*

(c) Fingit nimirum LUCIANUS l. c. cum ex inſulis fortunatis dimitteretur, ſe a Rhadamanto admonitum, ut ſi quando rediret in hunc noſtrum orbem, tria quædam obſervaret; *μὴ πῦρ μαχαίρᾳ σκαλεύειν, μήτε θέρμους ἐσθίειν, μήτε παιδὶ ὑπὲρ τὰ ὀκτωκαίδεκα ἔτη πλησιάζειν.* i. e. Ne gladio ignem diverberaret; ne lupinis veſceretur; ne ſe puero decimum octavum annum egreſſo, adjungeret, ſiquidem horum meminiſſet, futurum, ut aliquando ad eam inſulam reverteretur.

ATHENÆUS vero non modo ſymboli ſententiam ſed verba quoque interpretatur, ita ſcribens: πῦρ μαχαίρᾳ μὴ σκαλεύειν, ἀντὶ τοῦ τεθυμωμένον ἄνδρα μὴ ἐριδαίνειν. πῦρ γάρ ὁ θυμός. ἡ δὲ ἔρις, μάχαιρα. *Ignis ira eſt, gladius lis eſt & contentio.* Alii de Divina natura & ipſo Deo, qui linguæ acumine haud impetendus ſit, explicarunt, vid THUIL. *de ſymbol.* & FERDINAND. â BELVED. *Symb. VII. cap. I.* Illi *ignem ſymbolum eſſe divinæ naturæ*, aſſerunt, & propterea in templis aſſervari putant, capitaleque fuiſſe, ſi ſacerdotes ignem ipſum extingui permiſiſſent. Notiſſimum enim eſt, quod antiquioribus temporibus â Chaldæis imprimis ſub *ignis* imagine ipſe Deus cultus fuerit, ſicut & â voce Hebræa אוּר, urbs Chaldæorum *Vr* nomen accepiſſe dicitur, in qua nonnulli exiſtimant, aſſervatum fuiſſe ignem, quam Chaldæi coluiſſe dicuntur, vid. LEIGH. *Critic. Sacr. V. T. voce* אוּר *p. 4.* & SELDENUS *de Diis Syris Syntagm. L. II. c. VIII.* Superſtitioſum autem cultus *ignis* ortum apud Chaldæos, Græcos & Latinos, SCACCHUS *Sacrorum Eleochriſmatum Myrothecio cap. I.* prolixe exponit, addatur PLUTARCHUS *Sympoſiac. L. VII. quæſt. 4. p. 702.* Sicuti cultum ignis apud Perſas D. THOM. HYDE Anglus *de relig. veter. Perſar. c. VI. XXVII. XXIX.* deſcribit. Vid. quoque CLEMENS ALEXANDR. *in Admonit. ad Gentes pag. 43.* Atque eadem ratione apud Romanos virgines Veſtales primum â Numa Rege creatæ ſunt, vid. DIONYS. HALICARN. *L. XI. c. LXVII.* quarum præcipuum munus erat, *ignem perpetuum cuſtodire*, quemadmodum hoc videri poteſt ex Floro *L. I. c. II.* VALER. MAX. *L. I. c. I. n. 8.* GELLIO *L. I. c. XII.* PLUTAR. *in Numa p. 66.*

OVID.

OVID. *Faſt. VI. v. 283. ſeqq.* Si jam nos qualecunque noſtrum judicium, in tanto ſententiarum divortio interponere deberemus, ex interpretationibus hactenus recenſitis illa probabilior nobis videtur, quæ hunc eſſe ſymboli ſenſum ſtatuit, non eſſe hominem iratum vi aut injuria laceſſendum.

§. VIII.

Ζυγὸν μὴ ὑπερβαίνειν.

Stateram ne tranſilias.

Omnes fere in exponendo hoc ſymbolo conveniunt, quod juſtitia & æquitas in eo præcipiatur, ne viam iſtarum virtutum deſeramus. Nam ſtateram olim æquitatis ſymbolum habuiſſe vulgo, vel Doricum illud proverbium indicat, ϛαχάνης δικαιότερος, i. e. Trutina juſtior. vid. ERASM. *Adag. Chil. Cent. I. p. 16.* Quod etiam vetus Schol. Perſii ad Sat. I. v. 6. iſtis complectitur verbis:

Examenve improbum in illâ
Caſtigas trutina.

Vide ad iſtum locum Caſaubonum veteris Scholiaſtæ verba & emendantem & explicantem. Ad eum modum interpretatur DEMETRIUS BYZANTIUS *apud* ATHENÆUM *lib. Dipnoſoph. X.* PLUTARCHUS *de liberis educandis l. c.* & HIERONYMUS *in laudata Apolog. adv. Ruffinum,* BEROALDUS *de Symb. Pythag.* DIOGEN. LAERTIUS *Lib. VIII. Segm. XVII. p. 502.* THOM. STANLEJUS *in Hiſt. Philoſ. Tom. II. p. 788.* CLEMENS ALEX. *ſtromat. Lib. V. p. 239.* SUIDAS *Tom. III. p. 233.* JAMBLICHUS *de V. P. c. XXX.* Item *in Protrept. cap. XXI. & ultimo.* Confer. CRITTERS-

C HUS.

HUS. *in Porphyr. pag. 62.* CYRILLUS tamen ALEXANDRINUS *contr. Jul. Lib. IX. ſtateram,* inquit, *ne tranſilito,* h.e. *avarus ne eſto:* Idem & ATHENÆUS *Lib. X. Deipnoſ. c. XIX. p. 452.* qui hoc ſymbolo πλεονεξίαν, h.e. *avaritiam fugiendam* ait & æqualitatem ſectandam. Sic quoque PORPHYR. Ζυγὸν μὴ ὑπερβαίνειν, τῦτ' ἔςι, μὴ πλεονεκτεῖν, h.e. *avaritiam fugiendam.* Conf. ÆGIDII MENAGII *Obſervationes in Diog. Laërt. pag. 359.* Horum autem interpretamenta apte ſatis conciliare ſtuduit, Monſ. DACIER *dans la vié de Pythagore p. 177.* ita ſcribens: *ne violez pas la juſtice: n'ecoutez point l'avarice: Cela revient au meſme ſens; car de l'avarice vient l'injuſtice.* Sunt & quidam, qui præcipi hoc ſymbolo putant, ſtudiis actiſque omnibus moderamentum adhibendum, ne ſupra vires & captum aliquid aggrediamur, aut periclitemur, cui ſententiæ adſcribendus erit REUCHL. *de art. cab. Lib. II.* & FERD. de BELV. *in Pyth. Symb. Lib. I. cap. II.* GEORG. VENET. *Probl. 442.* Alij ſimpliciter ad menſuras & pondera referunt, quæ juſta eſſe debent, referente ſic GREGOR. GYRALDO *in Symbol. Pythagor. Interpret. Opp. Tom. II. pag, 643.* Illorum autem expoſitionem cum modo citato GYRALDO, merito miramur, qua hoc ſymbolum cum alio confuderunt, quod eſt: μὴ σαίρειν ὑπερβαίνειν *ſcopas non tranſiliendum,* habetur hoc ſymbolum apud PLUTARCHUM *in Sympoſ. Lib. VII. p. 727. &* *Quæſt. Rom. Opp. Tom. II. p. 290.* Unde σαίρον pro ζυγὸν mendoſe legi exiſtimarunt. Iſtud enim ex mente GYRALDI *l. c.* â quapiam fluxiſſe videtur conſuetudine, quæ & hodie eſt in vulgi frequenti ſermone, qua monemur *ſcopas non tranſiliendum:* Quippe σαίρος, teſte Polluce, inſtrumentum illud

illud eſt, quo pavimenta & areas verrere ſolemus & Latini ſcopas vocarunt: deductum â verbo σαίρω, σαιρῶ, quod *verro* ſignificat: vnde & pavimenta, quæ verri non poſſe videntur, *Aſarata* dicuntur. Nobis eorum probabilior videtur ſententia, qui dictum hoc de non migrandis juſtitiæ legibus intelligunt.

§. IX.

Ἐπὶ χοίνικος μὴ καθίζειν

Super Chœnice non ſedendum.

Diverſis autoribus circa hoc ſymbolum verſantibus diverſa placere deprehendimus, quemadmodum & de voce χοίνικος non una eſt eorum interpretatio. Hæſitare ſtatim videas viros doctos in voce hac latine vertenda. MARSILIUS vertit: *ſupra modium.* POLITIANUS: *ſupra ſextarium.* Quidam alii: *in ſemodio.* Factum hoc eſt ex eo, quod fortaſſe nihil habeant in Latio, quod huic verbo exacte reſpondeat. Quapropter HENR. STEPHANUS *in Theſ. Tom. IV. p. 544.* tutius cenſet, Græcum retinere vocabulum, cum quo facit GYRALDUS. Menſuræ genus eſſe, conſtat inter omnes, quod BUDÆO *Semodius* eſt. At vero LAERTIO & SUIDA teſtibus, *chœnix* eſt, quam CLEARCHUS (d) hemerotrophin nuncupat, i. e. diurnus cibus & dimenſum, quod indies alicui impenditur, quodque ſervis apud Græcos diſtribuebatur vid. & HERODOT. *L. III.* & *VII.* cui chœnix frumenti tantum eſt, quantum homini uno die ſatis eſt. Latinis recentioribus *Sportulam* dici aut *ſalarium*

Confer. PAULUS PATER *in Arcan. Moral. pag. 237.* DACIER *ad hoc ſymb. p. 178.* JAC. RONDELLI *Diſſ. Epiſtol. ſur le Chenix de Pythagore.*

(d) ſeu potius ALEXARCHUS, CASSANDRI, Macedonicæ Regis frater, qui peculiares loquendi modos invenit, vid. ATHEN. *L. III. c. XX.* & MENAG. *ad Laërt. p. 360.*

larium idem GYRALDUS obſervat, qua ratione apud
L. XIX. HOMERUM in Odyſſ. chœnix a Grammaticis exponitur:

Ου γὰρ ἀεργὸν ἀνέξομαι, ὅσκεν ἐμῆς γὲ
Χοίνικος ἅπτηται.

i. e. *Namque operæ immunem haud patiar*
Quicunque meam unquam
Chœnica contigerit.

Cum vero modius octo dierum, chœnix autem unius, victum contineat, obſervante PAULO PATRE, *l. c. pag.* 283. patet hinc, chœnicem *octavam modii partem.* Porro modius duas & triginta heminas & ſextarios ſedecim complectitur. Ergo chœnix duos ſextarios, heminas quatuor, qua ratione CAMERARIUS & EBERUS noſtram vocem explicant. Atque ſic legendos cenſet hos RHEMNII FANNII verſus, in carmine *de ponderibus* apud PRISCIANUM CAMERARIUS:

Heminas recipit geminas ſextarius unus,
Queis quater aſſumtis, fit Grajo nomine chœnix

quod vulgo legitur:

Qui quater aſſumtus (ſc. ſextarius) fit Grajo &c.

Deficiunt ergo auctores in Sextario, qui Semichœnicem tantum continet, excedunt in ſemodio, qui chœnices quatuor capit, magis in modio, qui octo. Sed quicquid de hoc ſit, ne longius iſtis immoremur, ad noſtrum ſymbolum accedimus, quod diverſimode explicari obſervamus. GEORG. VENET. *T. V. Probl.* 459. explicat de menſuris generatim, quæ premendæ non ſint aut occultandæ, ſed palam iis utendum. Confer. CASPAR. WASERUM *de Hebræorum menſuris*

ſuris *Lib. II. Cap. III.* ſed vide Acta Erudit. *ad an. 1691. p. 76.* Illuſtrari hinc poteſt locus *Matth. V, 16. 17. VI, 2.* Ut ſcilicet juſti menſura non oſtentetur, ſed pateat. Alii hunc faciunt ſenſum, de victu prudenter eſſe proſpiciendum, & cogitandum de craſtino, imitandasque formicas futuri memores, nec non ſemper de præſenti menſa in futurum aliquid aſſervandum: ita PLUTARCH. *de liber. educat. Cap. XVII. p. m. 333. & in Sympoſ. Lib. VII. Qu. 10. p. 703.* DIOG. LAERT. & SUIDA *in Pythag.* BUDÆUS *de Aſſ. L. V.* ALCIAT. *Parerg. L. I. c. XVII.* DACIER *dans la vie de Pythagore p. 178.* Quo & reſpicit CYRILLUS ALEX. *in Jul. L. IX.* qui ignaviter non eſſe vivendum explicat. Longe vero aliter GYRALDUS *T. II. Opp. p. 844.* qui non ſollicitos nos eſſe debere de craſtino nec ex illo (ut ait SENECA) pendere, deque victu non ſemper cogitare, iſta ſententia præcipi exiſtimat, allegans in rem ſuam D. HIERONYM. vid. & FERDIN. â BELUED *in Symb. L. III. c. 3.* ERASM. *in Chiliad. p. 16.* non oportere ait, per inertiam atque ſocordiam cibum alienum ſectari, ſed ſua quemque induſtria neceſſaria ſibi comparare, quando *aliena ſit fœdum vivere quadra.* Quorſum facit dictum TELEMACHI apud HOMERUM *Odyſſ. Lib. XIX.* ſupr. allegatum, vid. etiam PIERII HIEROGLYPH. *L. LVI.* Forte & parum differt ab hac COEL. RHODIGINI explicatio *Lib. XVI. c. XVII.* qui ſecundum hominem vivendum ſignificari ait, non in feras vel plantas abeundum, quarum illæ paſcuis, hæ alenti ſolo inhærent ſemper. BYZANTIUS apud ATHEN. *L. X. cap. XVII.* ita: *Quæ præſentis ſunt diei non conſideranda, ſed quæ futura dies afferat, terminus enim ac vitæ finis mors*

 eſt.

eſt. JAMBLICHUS *Protr. c. XXI.* de animo exponit, eum in Philoſophia enutriendum, non in corporis cura conſeneſcendum, cum quo facit THOM. STANLEJUS *Hiſt. Philoſoph. p.789.* FARRA *in Septen.* FERDIN. â BELUED. *Symb. L. III. c. II.* PICUS tandem MIRANDULANUS apud GYRALDUM *l. c. præcipit*, inquit, *Pythagoras ne ſuper modium ſedeamus*, i. e. *rationalem partem, qua anima cuncta metitur & examinat, ne otioſa deſidia remittentes amittamus, ſed rationis exercitatione ac regula & dirigamus aſſidue & excitemus.* Novas his omnibus conjecturas ex more adjicit PAULUS PATER *in Bernii Arcan. Moral. p. 250. ſeqq.* quales ſunt: nec ad menſam otiandum eſſe, ingratitudinem fugiendam, nec beneficio accepto terga obvertenda, in inſtabilibus non confidendum, choenicidem, h. e. rotæ modiolum reſpiciens, xeniis vel commeſſationibus judicia non corrumpenda, cum ſedere ſit judicum, choenices vero ipſis regibus in epulis dari, aut ad coenam non euntibus dono mitti conſueverint, quaſi â ſympoſiis & muneribus abſtinere judices præciperet PYHHAGORAS. Quæ ſane ingenioſa ſatis eſt conjectura. Nos vero in tanta obſcuritate, diſſentientibus inter ſe tantis viris, non audemus quicquam determinare de hujus ſymboli ſenſu, ſed tutiſſimum, τὸ ἐπέχειν exiſtimamus.

§. X.

Καρδίαν μὴ ἐσθίειν

Cor non edendum.

Multi ſymbolum hoc explicantes valde a natura ſymboli, cum literalem ipſi ac proprium affingant ſenſum, quem PYTHAGORAS intenderit, recedunt. In hunc ſenſum PHI-

PHILO ALEXANDRINUS, referente GYRALDO *Opp. T. II. p. 656.* ſcribit: Deum nequaquam ſibi ſacra fieri præ„ cepiſſe de corde aut cerebro, quæ ante alia jure fuerant ſan„ ctificanda: ſed quod Deus in ſacrificiis tacite, id expreſſe„ Philoſophus in menſa vetat. Eandem fere hujus interdicti rationem, quod ſcilicet ſangvinem comedere a Deo jam ſit vetitum, reddit GEORG. VENET. *T. V. Sect. V. Probl. 447.* Alii vero illam, quod cordis caro ſuapte natura comeſu difficilius concoquatur, in rem ſuam adducunt, vid. GYRALD. *l. c.* JAMBLICHUS autem *de vita Pythagoræ c. XXIV.* hanc, quod cor ſit vitæ ſedes, in medium affert. Atque etiam accipitres â cordibus, tanquam ſacro quodam abſtinere, autor eſt PETRUS GYLLIUS *in Ælian. de Nat. Anim. L. IV. c. XIV.* PAULUS PATER *in Arcan. Moral. p. 369.* ita explicat, non decere corda hominum, quæ ſcrutari, an impia vel ſancta ſint, ſolius Dei ſit, edere, hoc eſt, conviciis tanquam impia laceſſere, juxta illud Proſperi in Epigram.

Culpare in quoquam, quæ non ſunt acta malignum:
Linquantur ſecreta Deo.

Incertum enim eſſe, teſte ÆLIANO *V. H. L. IV. c. XVII.* an cor ſit ſanctum, THUIL. *de Symb. Pythag. ap. eundem.* amicis non eſſe obtrectandum, moneri arbitratur; aliter ALEX. FARRA in Septenario: animum ad inſtar rerum, quas comeditmus, non mergendum in corpore. Doctiſſimus GYRALDUS *l. c.* cor itidem pro mente poſitum putat, ut in illo: *ſi cor haberet & ex corde cogitationes malæ*, ut ſenſus ſit: ea, quæ mentis ſunt, non voranda nec abjicienda. Confert præterea cum hoc noſtro aliud ſymbolum, μὴ ἐσθίειν ἐγκέφαλον. Cerebrum ne mandito, ſubjunctis ex JAMBLICHO

his

de vita Pyth. cap. XXIV.

his verbis: *cor ideo & cerebrum mandi non permiſit Pythagoras, quod quaſi duo ſint duces, & quaſi gradus, ſedesve vivendi & ſapiendi.* De affectuum perturbationibus evitandis nonnulli quoque exponunt, quorſum pertinent ejusdem JAMBLICHI: *μὴ ἴϛι βάσκανος, ἀλλὰ φιλάνθρωπος καὶ κοινωνικός. ne eſto invidus, ſed humanus & familiaris,* quod & ſuum facit STANLEJUS *T. II. Hiſt. Philoſoph. p. 792.* De ira fugienda interpretatur FERDIN. a BELUED *de Symbol. Pythag.* cor enim ſupra craticulam impoſitum, prunis & igne ſuppoſito, apud ÆGYPTIOS ſignificare iram furoremque, obſervat GYRALDUS *l. c.* De curis, de mœrore & quicquid demum animum diſcrutiat ac debilitat, antiquorum plurimi intellexerunt. PORPHYRIUS *l. c. μὴ καρδίαν ἔσθιεν, οἷον μὴ λυπεῖν ἑαυτὸν ἀνίαις.* PLUT. *de liber. educ. μὴ ἔσθιεν καρδίαν: μὴ βλάπτειν τὴν ψυχὴν, ταῖς φροντίσι, αὐτὴν κατατρύχοντα.* Ita & CYRILL. ALEXANDR. *L. IX. contr. Jul. p. 300.* DEMETR. BYZANT. *ap. Athenæum, L. X. c. XIX. p. 452.* HIERON. *adv. Ruffinum L. II. p. 112.* SUIDAS *T. III. p. 234.* & DACIER *l. c. p. 179.* Valde hæc expoſitio, quam & noſtram facimus, probabilis videtur, cum antiquis Ægyptiorum picturis cor dentibus ambeſum hominem ſignificaverit, qui ægritudinibus affligatur, vid. PIERIUM *in Hieroglyph. L. XXI.* Quales & SENECA ipſum cor exedentes vocavit *Ep. LXXX.* Ipſe vero HOMERUS *de Bellerophonte Iliad. ζ.*

ap. PAUL. PATREM *p. 376.*

Ἤτοι ὁ καππεδίον τὸ ἀλήϊον οἶος ἀλάτο,
Ὃν θυμὸν κατίδων, πάτον ἀνθρώπων ἀλεείνων.

quæ ita vertit CICERO *Tuſcul. Quæſt. Lib. III. p. 222.*

Qui miſer in campis mœrens errabat aleis,
Ipſe ſuum cor edens hominum veſtigia vitans.

Plura

Plura ex HOMERO exempla hujus locutionis collegit ERASMUS *Chiliad. I. Cent. I. p. 17.* ut adeo PYTHAGORAS ex HOMERO deprompſiſſe hoc ſymbolum ipſi & DACIERIO videatur. Ita & ARISTOPHANES in Nebulis:

Ὅμως τε θυμὸν δάκνων ἔφην, i. e.

Animam tamen mordens meam ſic inquam.

ita THEOGNIS

Καὶ δάκνομαι ψυχὴν, καὶ δίχα θυμὸν ἔχω

Et rodor mentem, ſumque animi ambiguus.

Una adhuc ſupereſt non facile prætereunda explicatio, quæ iis hoc ſymbolum opponit, qui diſſidia excitant & fovent, quaſi totius unitatem, concordem ſympathiam ac conſpirationem non convellendam aut diſſipandam pronunciet. Ita JAMBLICHUS: *τὸ δὲ, καρδίαν μὴ τρώγε, σημαίνει, τὸ μὴ δεῖν τὴν ἕνωθεν τοῦ παντὸς, καὶ τὴν σύμπνοιαν διασπᾷν.* Cui ſententiæ ſubſcribit SCUTELL. ad *h. l.* & THOM. STANLEJUS *in Expl. Symb. Pythag. Tom. II. Hiſt. Philoſ. p. 792.* Plura vide de hoc ſymbolo *in Animadv.* ALDOB. *ad Diog. Laërt. in Pythag. Segm. XVIII. p. 503.* & apud JOH. SCHEFFERUM *de Natura & conſtitutione Philoſoph. Italicæ, pag. 147. ſeqq.* Item Mr. CLERC. *dans la Bibliotheque Choiſie, Tom. X. pag. 141. ſeqq.*

v. MENAG. *ad Diog. Laërt. p. 360.*

§. XI.

Φορτίον συγκαθαιρεῖν καὶ μὴ συνεπιτιθέναι.

Onus una tollendum, non una imponendum.

Diverſas hujus ſymboli explicationes non commodius recenſere nos poſſe arbitramur, quam ſi ad diverſas ejus lectiones, quæ expoſitiones quoque diverſas pepererunt, eas revocemus. Exhibet hoc ſymbolum ea, qua id recenſuimus

modo, ratione, DIOG. LAERT. *L. VIII. ſegm. XVII. p.* 502. Neque aliam lectionem obſervare ſe meminit, qui manuſcriptos contulit codices HEINR. STEPHANUS. Explicationem ejus talem refert STANLEJUS *P. VIII. c. III. p.* 795. *conjuncta opera in hac vita laborandum atque adjuvandos alios eſſe, in rebus non ad otium ſpectantibus, ſed ad virtutem.* Quæ interpretatio, quomodo verbis ſymboli, ſi ita quidem legantur, conveniat, difficilius eſt conjicere. Diu enim obſervavit HEINR. STEPHANUS vocem συνκαθαιρεῖν nullo modo ſignificare poſſe, *una tollere ſeu ſuſtollere*, eo ſcilicet animo, ut quis ferre velit onus. Quidvis aliud potius ſignificat hæc vox, *deſtruere* ſcilicet, *deponere*, imo *evertere* & *vaſtare*. Accomodatior verbis eſt REICHLINI interpretatio *Lib. II. de Art. Cabal. ap. Gyrald. T. II. Opp. p.* 645. quæ huc redit: *onus ſimul deponendum, non autem ſimul imponendum.* Haud ſecus ac ſi dicas: *id coadjuvato, ut homines moleſtia leventur, non graventur:* ut habet GYRALDUS ſive ut recenſet PAULUS PATER ad hoc ſymb. *ne onera ſimul imponamus: prodeſſe omnibus nocere nemini par eſt; nec prodeſt oneris autor, ſed gravat.* Verum alia ratione legendum exiſtimat ERASM. *Chil. I. Cent. I. p.* 19. ita ſcilicet φορτίον συγκαθαιρεῖν καὶ μὴ συναποτιθέναι. Ita enim ipſe HIERONYMUM legiſſe cenſet, cujus expoſitionem paulo poſt dabimus. Atque hanc quoque lectionem agnoviſſe veterem interpretem HEINR. STEPHANUS ad hunc LAERTII locum judicat, quoniam reddiderit: *onus una tollendum, neque una deponendum.* Verum in eundem lapidem, in quem prior impegerat & hanc impingere lectionem non abs re judicat.

a) LAERT. *l. c.*

dicat ipſe HEINR. STEPHANUS *in Animadv. ad Eraſm. Adagia.* quia & hoc caſu τὸ συγκαθαιρεῖν ſignificare deberet *attollere*, quod a Græca lingua alienum eſt. E cujus indole, ſi vertenda ſint verba, hunc ſenſum funderent: *deponenti onus auxiliandum*, *haud adjuvandum tamen eum*, *qui deponat.* Aut magis ad verbum: *detrahenti onus auxiliandum.* Quod quam abſurde dicatur, quis non videt? Non igitur ferendam eam eſſe concludit imprimis cum & HIERONYMI locus ad tertiam potius, quam ſtatim dabimus, lectionem reſpiciat. Ea igitur eſt hæc: Φορτίον μὴ συγκαθαιρεῖν, συνεπιτιθέναι δέ: *onus non ſimul detrahendum, ſimul vero imponendum.* Ita ſane ſcripſiſſe olim LAERTIUM poſt HEINR. STEPHANUM *in Animadv. ad Eraſm. Chiliad.* MENAGIUS judicat in Obſervat. ad *h. l. pag.* 359. quod ita reddit vir doctus: *homines onera imponendo, non detrahendo juvato.* Eadem ratione ſymbolum hoc refert DACIERIUS *Lib. cit. p. 187.* adjecta hac verſione: *hominibus onus ſimul imponendum, non detrahendum.* Similiter MARSILIUS ita latinè vertit: *viro, qui pondus elevat, auxiliare, non tamen cum eo deponas.* Pariter OECOLAMPADIAS *apud* GYRALD. *l. c. onus portantibus imponendum, non autem ſimul deponendum.* Atque in hunc quoque ſenſum ſymbolum noſtrum exhibet STANLEUS *in Pythag. c.* II. *p.* 787. *viro onus ſimul impone, non autem, ut deponat, juva. Ad fortitudinem hoc*, ita, explicationem ſubjiciens, pergit, *adhortatur. Etenim, quicunque onus imponit, laborem & actionem ſignificat, at qui aufert, quietem & remiſſionem. Itaque & hujus ſymboli illa ſententia eſt: ne tibi ipſi, nec ulli aliæ remiſſionis animi, molliſque vitæ cauſa eſto.* In hunc quoque ſenſum DACIER.

i.e. Pour dire, qu'il ne faut pas ayder les hommes à vivre dans la pareſſe, & dans la molleſſe ; mais les portes à paſſer leur vie dans les travaux & dans les exercices de la vertu, & leur impoſer des regles plus laborieuſes & plus penibles, à meſure qu'ils avancent dans les voyes de la perfection. Juxta hanc & lectionem & expoſitionem priſcorum autorum plerique omnes, qui hujus ſymboli mentionem injiciunt. Ita PORPHYRIUS: *in vita Pythag. Sect. XLII.* Φορτίον δὲ συναναλιθέναι μὲν τοῖς βαστάζουσι, συγκαθαιρεῖν δὲ μή. δι' οὗ παρῄνει, μηδενὶ κατὰ ῥᾳστώνην, ἀλλὰ πρὸς ἀρετὴν καὶ πόνους συμπράττειν. JAMBLICHUS *in vita Pythagoræ c. XVIII. Sect. 84.* Φορτίον μὴ συγκαθαιρεῖν, (οὐ γὰρ δεῖ αἴτιον γίνεσθαι τοῦ μὴ πράττειν) συναναιτιθέναι δέ. PLUTARCHUS *L. VIII.* συμποσιακῶν, *qu. VII. p. 728.* τούτοις δὲ συμμαρτυρεῖν ἐδόκει καὶ τὸ παρεγγυᾶν τοὺς Πυθαγορικοὺς ἑταίροις μηδενὸς ἀφαιρεῖν βάρος, συνεπιτιθέναι δὲ, καὶ συνεπιφορτίζειν, ὡς μηδεμίαν σχολὴν, μηδὲ ῥᾳστώνην ἀποδεχομένους. CLEMENS ALEXANDR. *Strom. I. pag. 274.* Ἐν γοῦν τοῖς Νόμοις, ὁ ἐξ Ἑβραίων φιλόσοφος Πλάτων κελεύει τοὺς γεωργοὺς μὴ ἐπαρδεύσαι, μηδὲ λαμβάνειν ὕδωρ παρ' ἑτέρων, ἐὰν μὴ πρότερον ὀρύξαντες παρ' αὐτῶν, ἄχρι τῆς παρθενίου καλουμένης, ἄνυδρον εὕρωσι, τὴν γῆν. ἀπορίᾳ γὰρ ἐπαρκεῖν οὐ δίκαιον. Ἀργίαν δὲ ἐφοδιάζειν, οὐ καλὸν, ἐπεὶ καὶ φορτίον συνεπιτιθέναι μὲν, εὔλογον· συγκαθαιρεῖν δὲ οὐ προσήκειν ὁ Πυθαγόρας ἔλεγεν. Rurſus idem JAMBLICHUS *in Protreptico c. XXI.* ἀνδρὶ ἐπαναιτιθεμένῳ μὲν φορτίον συνέπαιρε, μὴ συγκαθαίρει δὲ ἀποτιθεμένῳ. Et poſtea in expoſitione *ſymboli XI.* Τὸ δὲ, φορτίον συναναιτιθέναι, συγκαθαιρεῖν δὲ μὴ, εἰς ἀνδρείαν προτρέπει. πᾶς γὰρ ἀναιτιθέμενος φορτίον, πόνου καὶ ἐνεργείας σημαίνεται πρᾶξιν. ὁ δὲ καθαιρούμενος, ἀναπαύσεως καὶ ἀνέσεως. HIE-

RO-

RONYMUS *in Apologia* : *Oneratis ſupponendum* *mus; deponentibus non communicandum. id eſt: ad virtutem incedentibus augenda præcepta, tradentes ſe otio relinquendos.* Huc enim reſpicit CYRILLUS contra JULIANUM *c. IX. oportere aliis cooperari, non ad ignaviam, ſed ad labores.* Specialius paulo FARRA *in Septenario*: *Vere homo tunc auxilio dignus & plauſu, quum ſenſuum pondus â terrenis ad ſublimia efferendo, eo ipſo non deprimitur, ſed extollitur.* GEORGIUS vero *Venet.* T. *V. probl. 439.* de fovendis is, qui ſtudiorum ſe oneri ſubjiciunt, explicat. Sed & GYRALDUM audiamus, quanquam, niſi nos fallunt omnia, LUTHERUM noſtrum inique pungentem: *Certe in eos,* inquit, *ſymbolum dici poteſt, qui pridem aliquod ſanctioris vitæ inſtitutum profeſſi, ad laxiorem demum ſe vivendi normam, ne licentiam dicam, transtulerunt: quo in genere innumerabilis cum alias ſemper, tum hac præcipue temporum fæce multitudo apparet: unde & tot indies in Chriſtiana religione cooriuntur diſſenſiones & turbæ. Sed nos iſtos ſic diſſidentes Dei igneo verſatili gladio vindicandos mittamus.* Paulo longius petitæ ſunt conjecturæ PAULI PATRIS, quando vel de non multiplicandis legibus, vel de homicidio vitando, operaque honeſtæ ſobolis procreationi danda ſymbolum exponit, eo, quod animæ ſarcina ſit corpus, unde naſci ſit onus ſubire, mori vero idem deponere. Nos antiquiorum potius interpretationi accedimus, prout eam ex JAMBLICHO, DACIERIUS & STANLEJUS ſupra referebant, ea enim amplius confirmatur ex eo, quod hoc ipſum ſymbolum Herculeum dictum ſit PYTHAGORICIS, illius quippe ob- *T. II. p. 645. C. D.*

 ſigna-

ſignatum quaſi laboribus; quum enim in hominibus verſaretur, frequenter igni atque difficillimis rebus quibusve ſe committebat, inertiam fugiens. Sed & huc digitum intendiſſe procul dubio exiſtimandus OLYMPIODORUS in PLATONIS PHAEDONE, quem GYRALDUS & STANLEJUS citant, qui *μὴ ἀποτιθέναι, ἀλλὰ συνεπιτιθέναι βάρη*, verbis ſymboli paululum immutatis, præcipit. Longius tamen Suidas, ubi de hoc ſymbolo meminit, receſſit, ita legens: *Φορτίον μὴ συγκαθαίρειν, μηδὲ συνεπιτιθέναι.* *onus neque ſimul ponendum neque ſimul tollendum.* Quæ ſi genuina ſit lectio, onus non de virtute, ſed contrario, vitiis ſcilicet, exponendum eſſe judicat doctiſſimus GYRALDUS *l.c.*

§. XII.

Τὰ στρώματα ἀεὶ συνδεδεμένα ἔχειν.

Stragula ſemper habere colligata.

Vir doctiſſimus, Deſider. ERASMUS *in Chiliad. I. cent. I. p. 21.* aliud ſymbolum cum hoc noſtro idem eſſe ſtatuit, illud nempe, quod *ſurgentes e lecto veſtigium corporis jubet confundere*, quem & ſecutus PAULUS PATER in unum hæc duo confundit. Sejunctim vero exhibent GYRALDUS atque DACIERIUS, & merito. Differunt enim & verbis & explicatione. Ita enim poſterius eſt apud PLUTARCH. *in Sympoſ. L. VIII. Qu. VII. p. 728.* *ἀιον τὸ συντααράττειν ἀναστάντες ἐξ εὐνῆς τὰ στρώματα*, quod ita circumloquitur POLITIANUS, *cum e lecto ſurgis, ſtragula complicato, veſtigiumque corporis confundito.* Alii: *ſtramentis ſurgens, ipſa colligito, figuramque confundito.* Niſi & hi duo ſymbola in unum coarctaſſe exiſtimandi ſunt. Commodius

ap. GYRALD. *l. c. p. 664.*

dius ipſe GYRALDUS: *E lecto ſurgens, ipſa conturbes ſtragula.* Expoſitionem vero talem ſubjungit PLUTARCHUS *l. c.* ἡ δὲ τῶν στρωμάτων συντάραξις ἐνίοις μὲν ἐδόκει μηδὲν ἔχειν ἀποκεκρυμμένον, ἀλλ᾽ αὐτόθεν φαίνεσθαι, τὸ μὴ πρέπον, ἀνδρὸς συγκεκοιμημένης γαμετῆς. χώραν ὁρᾶσθαι καὶ τύπον, ὥσπερ ἐκμαγεῖον ἀπολιπόμενον: quæ, uti patet, ad verecundiam & pudorem cuſtodiendum pertinent. Facit huc, quod ARISTOPHANES *in Nubibus*: juſtitiam, ubi laudare ea vult bonam diſciplinam, Athenis regnantem primis illis, uti ipſa illa imprimis reverenter habita ac culta fuerit, temporibus, hoc vel maxime commemorantem inducat: juvenes ita ſollicite pudoris habere rationem, ut ſi loco ſuo ſurgant, nunquam complanare ac æquare obliviſcantur ſedem, ne ulla corporis partium veſtigia in arena relinquantur. Syllas vero id præcipi judicavit, componendum ſtatim, poſtquam ſurrexeris eſſe lectum, atque adeo ſoporis diurni & pigritiæ prævertendam occaſionem, ne interdiu lecto proſternaris, ita enim PLUVARCHUS pergit: ὁ δὲ Σύλλας μᾶλλον εἴκαζε κοιμήσεως μεθημερινῆς ἀποτροπὴν εἶναι τὸ σύμβολον, ἀναιρουμένης ἕωθεν εὐθὺς τῆς πρὸς τὸν ὕπνον παρασκευῆς, ὡς νυκτὸς ἀναπαύεσθαι δεῖν. Mira eſt GEORG. VENETI religio, qui *T. V. ſcit. I. probl. 451.* ita explicat ſymbolum: *confundendum quieſcentis veſtigium, ne immundi ſpiritus ſubintrent,* quod & ſtatutum à Zoar refert. CLEMENS vero ALEXANDRINUS *Strom. V. p. 559.* Πάλιν ὁ Πυθαγόρας, τῆς χύτρας ἀρθείσης ἀπὸ τοῦ πυρὸς, τὸν ἐν τῇ σποδῷ τύπον μὴ ἀπολιπεῖν, ἀλλὰ συγχεῖν προσέταττεν, καὶ ταράττειν ἀναστάντας ἐξ εὐνῆς τὰ στρώματα. οὐ γὰρ τὸν τύπον ἀφανίζειν μόνον δεῖν ἠνίττετο, ἀλλὰ μηδὲ ὀργῆς ἴχνος ἀπολιπεῖν· ἐπὰν δὲ ἀναζέσασα παύσηται

vid. HERRIC. STEPHAN. ad CHILIAD. ERASM. *p. 5.* & STANLEJ. *p. 796.*

σηται, καθίζασθαι αὐτὴν, καὶ πᾶσαν ἀπαλείφειν μνησικακίαν. quæ tamen potius ad aliud ſymbolum faciunt illuſtrandum, illud ſcilicet, quod ollæ veſtigium turbare jubet, cum quo hoc noſtrum, neſcio an ſatis feliciter, compoſuerit CLEMENS. REICHLINUS ad inſomnia tranſtulit, *de art. cab. L. II.* quæ *glomeranda in unum, & rejicienda, ne remorata gravent.* Ea ſcilicet veteres ideo abluebant; unde PERSIUS: *Sat. II. & ibi Farnab.*

- - *noctem flumine purgas.*

in Theb. L. IX. & STATIUS:

Ante diem gelidas ibat, Ladonis ad undas
Purgatura malum, fluvio veniente, ſoporem.

Ita & CLEMEMTEM ALEXANDR. refert STANLEJUS *pag. 796.* qui ſignificari dicat, ut nec alicujus ſomni nec inſomnii interdiu, ſed nec alicujus, quæ fuit in nocte, voluptatis, meminerimus. Aliter GYRALDUS paulo: *ſurgens e lecto, ac ſi dicas, e ſomno mortalis hujusce vitæ: erigensque te ad diei lucem,* h. e. *ad cœleſtium divinarumque rerum contemplationem, ſtragula complicato, h. e. corporeos ſenſus deſerito, id ſic enim quidam interpretantur, & perinde corporis veſtigium & ſtragula confundito, h. e. ne ad momentanea & mortalia, ſenſuique obnoxia reſpexeris, eorumque memineris — nam & ſacri interpretes per lectum & grabatum carnis voluptates exponunt.* Eundem in ſenſum fere STANLEJUS *p. 769.* ex CLEM. ALEXANDR. *Lib. V. Srom. p. 559.* Forte etiam notare caliginoſam phantaſiam oportere luce veritatis confundere. Quorſum & RHODIGINUS reſpicit, *Lib. XVI. cap. XVIII.* inferiores animi vires com-

conf. JAMBL. *Protr. c. XXI.*

comprimendas eſſe, innui exiſtimans, ne adverſus rationem inſurgant. Sed ad noſtrum potius revertimur ſymbolum, quo ſtragula ſemper colligata habere admonemur. Illud quidem etiam ad verecundiam & boni decoris ſtudium retulit ERASMUS, cum in his quoque temporibus inelegans & inurbanum habeatur, ſi quis ſtragula lecti non componat. Quæ & ratio procul dubio fuit, cur hæc duo ſymbola ad unum retulerit. Sed diſcedendum ab eo ſibi eſſe exiſtimavit H. STEPHANUS *in animadv. ad hoc ſymb.* qui aliud potius innuiſſe exiſtimat PYTHAGORAM. Nimirum, quum mane ignoremus, uti veſperi moraturi ſimus aut ſomnum capturi, debere nos ſemper ſtragula noſtra habere συνδεδεμένα, i. e. in unum quaſi faſciculum colligata, atque ita ad aſportationem parata, ſimul atque ex uno loco in alium migrandum erit. Ut ita ſpecies pro genere, ſtragula pro tota ſupellectile dicantur. Eadem habent GYRALDUS, qui ad animum hæc imprimis transferenda monet, ac ſi ab hac mortalitate ſit migrandum, ne nos imparatos mors offendat, & DACIERIUS *p. 200.* Tenez vos paquets toûjours prets: C'eſt pour dire, qu'il faut eſtre préparé à tout ce que la fortune voudra ordonner de nous & n'avoir rien qui nous retarde, quand notre derniére heure ſonne. Non dubitamus huic explicationi ſubſcribere, ea enim, ut STEPHANUS obſervat, vocis συνδεδεμένα maxime propriam ſignificationem retinet. Neque deſunt apud ipſos antiquiores hujus explicationis veſtigia: hinc evolvi merentur PYTHAGORÆ præcepta myſtica â PLUTARCHO *apud* GYRALDUM *Tom. II. Opp.*

pag. 682. Ibi enim ita PLUTARCHI interpretationem refert: *Succinctos nos eſſe oportere, quo facilius tempori & naturæ pareamus.* Neque multum abludit illud XENOPHONTIS: ἀεὶ τὰ ἑαυτοῦ συσκευάζεσθαι, i. e. *ſarcinas ſuas ſemper colligere*, vel ad verbum *vaſa colligere*; quod militibus ſolemne eſt, prout hujus generis locutiones ſunt frequentisſimæ.

§. XIII.

Ἐν δακτυλίῳ εἰκόνα θεοῦ μὴ περιφέρειν.

Dei imaginem in annulo minime circumferendam.

Separandum & hoc ſymbolum eſt ab alio, quod habet PLUTARCHUS, μὴ φορεῖν στενὸν δακτύλιον, *anguſtum annulum ne geſtato*, quemadmodum ſejunxerunt ERASMUS, GYRALDUS, STANLEJUS, DACIERIUS, alii. Ad noſtri hujus ſenſum quod attinet, tacemus remotiora ac longius petita nonnullorum interpretamenta, quale eſt illud PAULI PATRIS, *in Arcan. moral. p. 327.* qui ad animæ immortalitatem illud trahit, ut Dei imago animam, quæ quaſi divinitatis quoddam ſit ſimulacrum, annulis veró corporis compagem ſignificet. Eadem ratione Dei imaginem de anima humana exponit COEL. RHODIGINUS *Lib. XVI. c. XVIII.* quam non merſandum in corpore, velut in annulo gemma ſolet, nec mancipandam ſenſibus eſſe, doceri arbitratur. Quæ interpretatio fere eadem eſt cum illa, quam ex CLEM. ALEXANDR. *Str. V.* citat STANLEJUS *p. 796.* quod ſcilicet non in ſenſibilibus hærere, ſed ad intelligibilia nos conferre debeamus. Aliter FARRA *in ſepten;*

ptea; qui hunc facit ſenſum: *in annulo, hujus vitæ hieroglyphico, ne Dei figuram ſculpas: nullus enim homo Deus, nullusque in hac vita beatus.* Valde enim dubito, num annulus vitæ humanæ antiquis emblema fuerit, qui æternitatem potius ipſis ſignificat. Ad Theologiam PYTHAGORICAM, refert hoc ſymbolum JAMBLICHUS *protr. c. XXI.* eo ſenſu, ut, Deum vincula materialia non recipere, deſignetur. In quam ſententiam adſcribemus, quæ habet THOM. STANLEJUS *p. 791. Deos ducito incorporeos eſſe. Hoc nempe ſymbolum præcipuum præ cæteris Pythagoricorum dogmatum ſeminarium eſt: hoc eſt, ex quo omnia pene compacta ſunt, & à quo usque ad finem firmantur. Neque putes vero eos formis uti, corporeæ quæ ſint, neque materiali contineri ſubſtantia, corpori, ut reliqua animalia, affixa. Sculpturæ vero, quæ ſunt in annulis, vinculum per ipſum annulum indicant, & corpoream naturam, ſpeciemque ſenſu comprehenſibilem, & figuram quaſi animalem, oculis obnoxiam, à qua diſtinguendum eſt penitus genus Deorum, tanquam quod ſit æternum, & ſola mente comprehenſibile, idem ſemper eodemque modo ſemper ad alia ſeſe habens.* Et ſane jamdudum ſculpta Numina Moyſes Ebræis, Numa Romanis interdixit. *Deut. V, 8. Plut. in Num. Opp. T. I. p. 65.* Cur vero imprimis de annulis vetuerit, quæri poſſet? Scilicet materialia vincula per annulum deſignata fuiſſe JAMBLICHUS autor eſt. Indignum ergo judicavit rerum oppoſitarum ſigna conjungi, quod forte hominibus ſui temporis familiare fuit, & facile ab ipſo obſervari potuit, cujus pater *Mneſarchus* annulorum ſculptor fuit, teſte LAERTIO *p. 487. Cœperunt* ſcilicet, ut ait PLINIUS, *digitis*

gitis Deos geſtare, ac pollicis proximum induere etiam Deorum ſimulacris. Idem præceptum poſt PYTHAGORAM ATTEJUS CAPITO repetiit, docente MACROB. *in Saturn. L. VII. c. XIII.* vid. & locum CLEM. ALEX. *Strom. V. pag. 559.* Alii tamen ſymbolum hoc non tam ad naturam divinitatis, quam ad debitum Deo honorem ac reverentiam trahunt. Scilicet quum ea, quæ digitis geſtamus, annulo inſculpta, facile omnium conſpectui exponantur, ſæpisſimeque ſimul cum manu rebus ſordidis, impuris & reverentiæ contrariis admoveantur, crediderunt heic prohiberi, ne vel res divinas contemtui habeamus, vel inconſiderate earum injiciamus mentionem, vel myſteria divina, quæ in arcanis haberi debebant, ad vulgus proferamus. Ita PORPHYRIUS: *lib. cit. Sect. XLII.* Θεῶν εἰκόνας ἐν δακτυλίοις μὴ φορεῖν, τουτέστι τὴν περὶ Θεῶν δόξαν καὶ λόγον μὴ πρόχειρον μηδὲ φανερὸν ἔχειν, μηδὲ εἰς πολλοὺς προφέρειν. Et in *præcept. Myſticis Pythag.* a PLUT. *explicatis apud* GYRALD. *Opp. Tom. II. p. 682. de divinis parce differendum.* Ita etiam ERASM. CHIL. *p. 20.* GYRALDUS *l. c. p. 649.* DACIER. *lib. cit. p. 181.* Ne portez point l'image de Dieu ſur votre anneau: *In annulo Dei imaginem ne circumferto.* Pour dire, *qu'il ne faut pas profaner le nom de Dieu en parlant à tout propos, & devant tout le monde.* Peut-eſtre auſſi que PYTHAGORE deffendoit de porter l'image de Dieu ſur ſon anneau; de peur que parmi les actions profanes, dont la vie civile eſt compoſée, il ne s'en trouvaſt quelqu'une qui bleſſaſt la majeſté de cette Image: & ce qui me perſuade que c'eſt le veritable ſens, c'eſt ce qu'ont fait quelques Empereurs qui ont voulu s'égaler

in Hiſt. Nat. L. II. c. VII.

galer a Dieu. Nous liſons dans SENEQUE & dans SUETONE, que du temps de Tibere, c'étoit un crime capital de porter dans un lieu deshonneſte l'image de ce Prince gravée ſur un anneau, ou ſur une piéce de monnoye. PHILOSTRATE rapporte mesme, & M. SPANHEIM l'a remarqué le prémier, que dans une ville de PAMPHILIE, un homme fut condamné comme criminel de Leze-Majeſté divine, pour avoir battu un eſclave qui ſe trouva avoir ſur luy une drachme d'argent où étoit empreinte la teſte de Tibére. Caracalla imita ce deteſtable orgueil; car DION nous apprend qu'il condamna au dernier ſupplice un jeune homme de l'ordre des Chevaliers, pour avoir été dans un vilain leu, ayant dans ſa poche une piéce de monnoye où la teſte de ce Prince étoit gravée. Nobis autem priorem expoſitionem tanquam probabiliorem placere non diffitemur.

SENECA Lib. III. de Benef. cap. XXVI. SVETONIUS in Tiber. cap. LVIII.

§. XIV.

Reliqua nunc, quæ DIOG. LAERT. recenſet, PYTHAGORÆ ſymbola examinanda nobis forent, niſi verendum nobis eſſet, ne juſtam opus menſuram ſit excreturum. Reſervamus itaque illa Diſſertationi â nobis, ſi Deo viſum fuerit, conſcribendæ poſteriori, expetentes ſaltem humaniſſime â Lectore Benevolo æquum de hac opera noſtra judicium, cui & ſequentia exponimus

COROLLARIA.

I.

Pythagoræ præceptum de ſilentio maxime philoſophicum erat, finique, quem per iſtud intendebat Pythagoras, accommodatum.

II.

Neque omnino rejiciendum iſtud de Purgatione, κάθαρσιν quam vocabant, cui immediate adjungebant ἄνοδον ſ. aſcenſum.

III.

Stoici atque Epicuræi multa hauſerunt ex Philoſophia Pythagorica.

IV.

Pythagoræi recte Mathematici vocantur.

V.

Animæ transmigratio Pythagorica utique eſt rejicienda.

(o)

This book should be return
the Library on or before the last
stamped below.

A fine of five cents a day is inc
by retaining it beyond the spe
time.

Please return promptly.

Gp 123.55.20
De Symbolis Pythagorae dissertatio
Widener Library 005228693

3 2044 085 253 516